

præferatur secundus creditor; qui pecuniam dedit ad ejus reparationem, vel ad navem instruendam rebus necessariis, vel ad solventium victoribus, & officialibus. *L. 6. ff. Qui potiores, l. 28. tit. 13. p. 5.* Similiter, qui pecuniam dedit ad solutionem asportationis mercium, vel conductionis domus, ubi erant reponenda, præferatur primo creditori, cui tales merces erant expressè obligatæ. *L. 6. ff. Qui potiores, l. 29. tit. 13. p. 5. Hev. in 2. p. Cur. Phil. l. 2. c. 12. n. 25.* Ubi addit, quod hæc hypotheca præferatur etiam doti, & fisco, quando est anterior, secus aliter, ac proinde inter causam dotis, fisci, & refectionis attenditur temporis prioritas. Si verò concurrant causa factionis, & refectionis ejusdem navis, vel domus refectionis, cui potius debet tribui rei conservatio præferatur factioni. *Hev. p. 2. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 26.* 3. Fiscus, seu Camera, aut Aerarium publicum Principis, vel Reipublicæ in ordine ad tributa, & alias publicas præstationes. *L. 1. C. Si propter public. pensitat. l. 33. tit. 13. p. 5.* Ubi notat *Greg. Lop.* Quod fiscus, & dos æquiparantur in hypotheca, fiscus (& idem debet dici de dote) creditori habenti anteriorem hypothecam generalem in bonis debitoris præferatur in bonis adquisitis à debitore post obligationem contractam fisco. *L. 28. ff. de Jur. fise. & ibid. Gothofr. Hev. in bonis antecedenter adquisitis præferatur fisco creditor anterior. Hevia p. 2. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 30.* Idem privilegium fisci, & dotis, à paritate rationis, extenditur ad Ecclesiam, & causam piam, ac proinde Ecclesia habet prælationem pro decimis in rebus, ex quibus debentur. *Hevia 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 15. & 29.* Si tamen dos, & fiscus concurrant, prioritas attenditur: quod si eodem die facta sit utriusque obligatio, & non apparet, quænam sit prior, præferatur causa dotis. *L. 85. ff. de Reg. jur. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 81.* Fiscus etiam habet prælationem in causa pertinente ad Primpilium, id est Præfectum annonæ Militaris. *L. 3. C. de Primpil. Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 28.* Etiam habet prælationem pro gabella, quæ dicitur: *Alcavala*, in re, quæ venditur, & in his Provinciis Indiarum habet prælationem in tertia parte pretii officiorum publicorum, quæ venduntur, vel renuntiantur. *Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 15.*

218 In quarto loco veniunt hypothecarii simplices, in his præcipue habet locum regula, quod qui prior est tempore potior est jure. *L. 2. ff. Qui potiores.* Hæc

anterioritas hypothecarum non solum ex die, sed etiam ex hora ejusdem diei computatur, imò ex ordine scripturæ: nam quæ prius invenitur in Protocollo, vel prius nominatur in instrumento, illa prælationem habet. *Hevia 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 40.* Quod si non constet quænam hypotheca sit prius, prorata debiti fiet solutio. *L. 16. §. 8. ff. de Pign.* Si hypotheca pro debito conditionali constituitur, præferatur posteriori hypothecæ postea purè constitutæ, pendente conditione, si postea conditio existat: nam cum retrotrahatur conditio ad tempus, quo debitum fuit contractum, est prior tempore, quam purè constituta. Etiam hypotheca constituta super debito ex certo die ante adventum diei præferatur debito contracto absolute. *arg. L. 14. ff. de Pign. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 44.* Hæc regula locum habet etiam si concurrat hypotheca conventionalis, vel legalis, vel Prætoria, vel expressa, vel tacita, vel generalis, vel specialis, etiam si in anteriori, non intervenisset traditio, vel possessio bonorum in hypothecam datorum, & in secunda intervenisset hæc possessio, semper præferatur prior. Et etiam si prior hypotheca, vel debitum constet ex instrumento privato, & secunda hypotheca ex instrumento publico, si instrumentum privatum fuit recognitum, priusquam instrumentum publicum conficeretur. *L. 6. C. Qui potiores, & ibid. Gothofr. l. 27. tit. 13. p. 5. & ibid. Gl. Hev. 2. p. Cur. Phil. l. 2. cap. 12. n. 39.* Hypothecarii hanc anterioritatem habentes, non solum eam habent respectu debiti principalis, sed etiam respectu accessionum, usurarum, & interesse, etiam si hæc omnia accedant post secundam hypothecam. *L. 13. l. 18. ff. Qui potior. Hev. 2. p. Curia Philipp. l. 2. cap. 12. n. 48.* Quia accessorium naturam sequitur principalis. *c. 42. de Reg. jur. in 6. §.* Locum sibi vendicant creditores Chirographarii privilegiati ratione debiti, vel causæ. Tales sunt, qui rem apud alium deposuerunt, commodarunt, vel locarunt, si res jam non extet. *L. 12. tit. 14. p. 5. & ibid. Greg. Lop. gloss. fin. 2.* qui pecuniam mutarunt ad faciendam navem, vel reficiendam. 3. Respublica, Civitates, Ecclesiæ, Monasteria, causæ piæ, & Pupilli. Denique in concursu veniunt creditores chirographarii simplices. Et inter hoc, si quid de bonis debitoris, postquam sit prioribus satisfactum, restet, si omnes eodem tempore apud Judicem petant debitum, dividitur inter hos creditores secundum proportionem Geo-

Geometricam, ita ut inter ipsos, non attendatur prioritas, nec posterioritas, sed prorata rei debita (& non creditorum) pecunia restans dividatur. *L. 6. C. de Bonis auctor. Jud. possid. ibi: Prorata debiti quantitate omnibus creditoribus consulti potest. L. 11. tit. 14. p. 5.* Quod si sententia pro aliquo est prius lata, vel ipse prius debitum petiit, ei prius solvendum est, licet in tempore sit posterior. *L. 11. tit. 14. p. 5.* Idem est de debito ratione maleficii, vel damni dati in re aliena; nam prius solvendum est ei, qui prius egit, & sententiam obtinuit. *L. 13. tit. 14. p. 5.* Similiter præferatur ille, qui prius debitum à creditore obtinuit, licet sit posterior in tempore. *L. 6. ff. de Re judicat. l. 9. tit. 15. p. 5. & ibid. Greg. Lop.* Etiam creditor, qui capit bona debitoris fugientis habet prælationem respectu debitorum ejusdem naturæ, secus respectu privilegiatorum. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. fin.* Nec attenditur, an debitum hoc personale constet ex instrumento publico, vel privato, vel ex testium depositione, vel confessione debitoris. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. lib. 2. cap. 12. n. 58.* Donationes Regiæ juxta earum anterioritatem solvuntur: præferuntur tamen, quæ sunt factæ causis piis, vel in remunerationem aliquis servitii. *L. 12. tit. 24. lib. 2. R. C.* Etiam si posteriores sint. Similiter præferuntur debita procedentia ex contractu oneroso debitis ex contractu gratuito procedentibus, etiam hypotheca munitis: etiam debita defuncti præferuntur quibuscumque legatis, & inter legata præferuntur facta causis piis. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 61.* Quod si Fiscus concurrat pro pœna pecuniaria delicti, cum alio privato damnificato à delinquente, vel alio creditore, hi præferuntur Fisco, ut possint repetere debita contracta ante delictum: in debitis tamen post delictum contractis præferatur Fisco. *Hev. 2. p. Cur. Philipp. l. 2. cap. 12. n. 65.* In nostra Hispania instrumenta privata scripta in charta sigillata præferuntur cæteris instrumentis privatis, & locum obtinent post instrumenta publica. *L. fin. tit. 25. lib. 4. R. C.*

TIT. XXIV.

De Donationibus.

219 **D**onatio, sic dicta, quasi *doni datio*. *L. 35. §. 1. ff. de Mort. caus. donat. Et liberalis, nullo Tom. I.*

jure cogente, propriorum bonorum aucteri facta concessio, ex L. 1. l. 29. ff. h. t. l. 1. tit. 4. p. 5. ibi: Donacion es bien fecho, que nace de nobleza, è bondad de corazon, quando es fecho sin ninguna premia. Differt à stipulatione; nam hæc formam solemnem verborum requirit, sine qua bene potest stare donatio. Differt à promissione, quia hæc est datio fidei libera dans solum jus ad rem; donatio verò traditione perfecta dominum transfert. A pollicitatione differt, qui hæc est nuda promissio, absque acceptatione promissarii. *L. 3. ff. de Pollicit. donatio tamen acceptationem requirit.* Donatio antequam acceptetur nullam, nequidem naturalem obligationem producit. *L. 10. ff. h. t. quod juxta Sanch. de Matr. lib. 1. D. 6. & alios, etiam de Jure Canonico procedit; & hinc mortuo donatario ante acceptationem nihil transfert ad heredem, imò donationem etiam juratam potest donator liberè revocare, quin fidem violet, nec jus donatarii lædat, quippe nullum jus donatarius adquisivit, nec donator ullam obligationem contraxit, & exceptio superveniens revocationi nihil prodest; arg. L. 12. §. 16. ff. Mandat.* Et etiam donatio facta causæ piæ requirit administratoris acceptationem saltem, ut obligationem justitiæ patriat; *arg. L. 10. ff. h. t.* Si tamen Deo principaliter fiat, ut regulariter accidit, & præsumitur in dubio, habet rationem voti, quod statim acceptatur à Deo, ac proinde ex Religione obligat. De jure tamen Hispano donatio etiam si nondum sit acceptata à donatario obligat donantem. *L. 2. tit. 16. lib. 5. R. C. & tenent Covar. Palac. & Molin.* quamvis alii hoc negent cum *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 6. n. 18. & seq.* Donatio potest fieri purè, & sub conditione, & sub modo, & usque ad certum diem, & tam absenti, quam præsentati. Et omnia debent adimpleri juxta donantis voluntatem, & dispositionem. *L. 4. & seq. tit. 4. p. 5.* cum donatio non præsumatur. *L. 15. ff. de Probat. debet donans suum animum donandi, & dominium transferendi declarare, vel per verba, vel per Epistolam. L. 6. l. 13. C. h. t. vel per aliud signum minimè dubium.* Aliquando tamen præsumitur donatio, scilicet, si dans, & recipiens sint consanguinei, vel amici, vel si vendens sciens justum pretium rei, minimo pretio vendat. *Mench. de Arbitr. cas. 88. n. fin.* Vel si creditor debitori chirographum reddat, nam tunc debitum condonare censetur. *L. 2. §. 1. ff. de Pañ. & si illius debiti plura sint*

exemplaria, nec omnia reddita. Vel si vir illustris aliquid det in quantitate non magna; arg. c. 1. h. t.

220 Donatio est duplex, alia est causa mortis, alia est inter vivos. Donatio inter vivos, est quando aliquis sine ulla mortis cogitatione, vel mentione alteri rem suam irrevocabiliter donat. Causa mortis donatio: ait Justinianus in §. 1. Inst. de Donat. Est quæ propter mortis sit suspicionem, ut si quid humanitatis ei contigisset, haberet is, qui accepit, sin autem supervivisset is, qui donavit, reciperet, vel si eum donationis pœnitivisset, aut prior decesserit, cui donatum sit. Hæc mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia: & in summa mortis causa donatio est cum magis se quis velit habere, quam eum, cui donat, magisque eum, qui donat, quam heredem suum. Consonat L. fin. tit. 4. p. 5. Nec sufficit, quod donans sit proximus morti, si non moveatur mortis cogitatione, ut sit donatio causa mortis: imò erit donatio inter vivos: tunc enim, non tam causa mortis, quam moriens donasse censendum est. L. 42. §. 1. ff. de Mort. causa donat. Donatio causa mortis potest fieri ab eo, qui habet testamenti factionem, & debet fieri coram quinque testibus, & licet filiusfamilias, ne quidem cum consensu patris, possit facere testamentum, potest tamen cum consensu patris donare causa mortis. L. 7. §. 4. & 6. ff. h. t. l. fin. tit. 4. p. 5. Et cum hodie in nostra Hispania filiusfamilias habens ætatem legitimam possit testamentum facere. L. 5. Taur. l. 4. tit. 4. lib. 5. R. C. Potest causa mortis donare, quod si donatione mortis mentio fiat, sed adjiciatur clausula, ne unquam revocetur, mors causa donandi magis est, quam mortis causa donatio, & ideo perinde haberi debet atque alia quævis inter vivos donatio. L. 7. ff. de Mort. caus. donat. & sic intelligenda. L. 13. ff. eod. Quia irrevocabilitas est differentia essentialis donationis inter vivos. Cum nomine donationis propriè talis, donatio inter vivos intelligatur, in dubio potius, quam donatio causa mortis, præsumitur donatio inter vivos; arg. L. 96. ff. de Leg. 3. Donatio insuper inter vivos, alia est merè gratuita, seu liberalis, & hæc est proprièsimè donatio. L. 1. l. 29. ff. h. t. Quæ scilicet ob nullam aliam causam, quam ob liberalitatem exercendam fit. Remuneratoria alia, ea scilicet, quæ licet nullo jure justitiæ cogente fiat, aliàs nullo modo esset donatio, fit tamen ex debito gratitudinis, & ob donatarii merita, vel ejus, cujus intui-

tu fit: v. g. si intuitu patris meritorum, filio donetur, potius, quam donatio est meritorum solutio. Et hinc quando aliquibus personis prohibetur donatio, non comprehenditur remuneratoria, sed tantum liberalis, ut contra Gonz. in c. 3. h. t. num. 9. Pined. & alios tenent Sanch. lib. 6. de Matrim. D. 6. n. 11. Gom. Molin. & alii. In ipsa tamen donatione, ob merita fieri, est exprimendum, cum benemeritis etiam liberalitèr possit donari: præsumitur tamen remuneratoria, si merita præcesserunt. Menoch. l. 2. de Arbitr. cas. 88. n. 53. Sed præcessisse probandum est. Menoch. l. 2. de Arbitr. cas. 134. Et arbitrio Judicis merita sunt mensuranda. Sanch. de Matrim. l. 6. D. 6. ex n. 3. Ut per donationem dominium transferatur, debet res donata esse in donantis bonis, & non extra hominum commercium. Si res aliena donetur, solum jus usucapiendi potest transferri. L. 1. & per tot. ff. pro donato, c. 79. de Reg. jur. in 6. Quod si evincatur à Domino, tenetur donans ad evictionem, si donatio facta est remuneratoris, vel alia ex causa, sive sciens, sive ignorans, rem alienam donaverit. L. 27. l. 34. ff. h. t. Si verò sit merè liberalis donatio, & donans ignoravit, rem esse alienam, & evictio non est specialitèr promissa, ad nihil tenetur. L. 18. §. fin. ff. h. t. Secus, si sciens, rem alienam esse, eam ignoranti, quis donavit nam ipsi obligatur saltem ad impensas occasione donationis factas.

221 Domini rerum suarum administrationem habentes, si non prohibeantur specialitèr, possunt inter vivos donare. Hinc pupilli, minores, prodigi donare nequeunt, quia suarum rerum administratione carent. L. fin. C. Si major. factus. L. 1. tit. 4. p. 5. Deindè, de jure prohibentur donare. 1. qui crimen læsæ Majestatis commisit, & qui ut hæreticus est per Ecclesiam judicatus; qui verò aliud crimen, etiam capitale commisit, potest usque ad sententiam donare, non verò post sententiam. L. 2. tit. 4. p. 5. 2. Donatio inter virum, & uxorem non valet, cum à jure prohibeatur, ne mutuo amore spoliatur. L. 1. l. 3. ff. de Donat. inter. de quo in lib. 4. tit. 20. 3. Nec donatio Militis facta focariæ, seu meretrici. L. 2. C. de Donat. inter. idem ad Clericos extendit Rota. Covar. in Reg. Peccatum, p. 2. §. 2. n. 2. 4. Nec pater filio adhuc constituto sub patria potestate donare valet, quia cum unam personam civilem ambo constituent, sibi ipsi donare videretur. L. 11. C. h. t. L. 3. tit. 4. p. 5. Potest ta-

men

men pater filio donationem remuneratoriæ facere, vel ipsi matrimonium contracturo aliquid in dotem dare, vel eunti ad bellum, vel Universitatem aliquid donare: & talis filius non tenetur has donationes ad partitionem cum suis fratribus trahere. L. 3. tit. 4. p. 5. & ibid. Greg. Lop. Hodie in nostra Hispania potest pater filio, etiam in patria potestate constituto, per testamentum, vel contractum donare tertiam bonorum partem, & si rem donatam tradat filio, donatio est irrevocabilis; si tamen non tradat, revocabilis est, etiamsi fiat filio emancipato. L. 1. tit. 6. lib. 5. R. C. L. 7. Taur. & notat Greg. Lop. in l. 3. tit. 4. p. 5. V. Non valent. Filiusfamilias, etiam sine patris consensu, potest de peculo castrensi, vel quasi castrensi donare inter vivos: cum in eis patrifamilias comparetur. L. 7. §. 6. ff. h. t. l. 32. §. 8. de Donat. inter. De profectio tamen potest donare consanguineis pro dote, vel alia justa causa, & ex his bonis potest suo Magistro salarium dare. L. 7. ff. h. t. l. 3. tit. 4. p. 5. Minor, juxta sui status conditionem in rebus communibus, donationem facere potest ex tacito Curatoris consensu: aliter donationes factæ, justa aliquos, etiam naturalitèr sunt invalidæ: secus juxta alios, cum benè possint naturalitèr obligari, & alias verè earum rerum Domini sint. Administratores rerum alienarum, etiamsi generalem administrationem habeant, ut Procuratores, Tutores, & Curatores, sine speciali mandato nequeunt donare, quia potestas donandi, sub mandato generali, non continetur. L. 7. ff. h. t. Prælo Ecclesiarum, sive Sæculares, sive Regulares, non possunt sine debitis solemnitatibus, ad alienationem requisitis, res immobiles, & mobiles pretiosas, etiam ob remunerationem donare. c. 52. 12. q. 2. c. 5. de Reb. Eccles. alien. In magna etenim quantitate ex nullis rebus Ecclesiæ donationes facere possunt. c. 2. h. t. quia non Domini, sed Administratores sunt, & licet meliorem Ecclesiæ conditionem facere possint, non tamen deteriozem, quod quidem facerent donando, quia donare, quoddammodo perdere est. L. 7. ff. h. t. remuneratorias tamen donationes meritis commensuratas ex rebus mobilibus non pretiosis facere valent: imò ex eisdem rebus mobilibus non pretiosis possunt facere donationes merè liberales modicas cum consensu Capitulo; vel sine illo, ubi consuetudo hoc concedit. c. 3. h. t. hoc enim ad liberam, & rectam pertinet administrationem. Si Prælati cum Capitulo

consensu liberalitèr donet quantitatem immodicam redditum Ecclesiæ, valida est donatio, quia ipse cum Capitulo Ecclesiæ representat, eique contrahendo, & agendo nocere potest, est tamen illicita ob magnam prodigalitatem. Prælati Sæculares, cum dominium habebant reddituum suæ mensæ, de eis etiam in majori aliqua quantitate, etiam sine Capitulo consensu, donationes merè liberales facere possunt; sed ut licitæ sint, debent fieri in pias causas. Regulares servare sui Ordinis Regulas, & consuetudinem debent.

222 Donatio omnium bonorum, presentium, & futurorum, non solum ad piam causam, & ex causa onerosa, & necessaria, sed etiam merè liberalis, & ad causam profanam valida est. L. 15. §. 4. C. h. t. l. 8. C. de Revoc. donat. Et omnium bonorum donator, nunquam condemnatur insolvidum, sed semper ipsi relinquuntur bona ad congruam sustentationem. L. 19. §. 1. ff. de Re judic. Et de eis poterit testari. Ut valeat donatio excedens; olim ducentos, hodie quingentos solidos. §. 2. Inst. de Donation. Est necessaria insinuatio. L. 9. tit. 4. p. 5. hoc est, quod coram Judice, in judicio, vel extra, donans suam voluntatem donandi, declarat, & scriptura fiat. L. 25. l. 31. C. h. t. l. 9. tit. 4. p. 5. ibi. Eueras ende si lo ficieste con carta, è son sabiduria del mayor Judgador de aquel lograr, do ficieste la donacion. Et ratio est, ne in Reipublicæ damnum homines redigantur ad pauperitatem; & ut aliis fraudibus obvietur. Et cum talis insinuatio det formam contractui, non potest à partibus renuntiari, nisi accedente juramento confirmetur renuatio: tunc enim in utroque foro convalescit donatio, quoad excessum, cum tale juramentum sine peccato, & sine tertii præjudicio servari valeat. c. 28. de Jur. jur. & aliunde insinuatio non sit primarium ob favorem publicum inducitur. Clar. §. Donatio, q. 18. n. 2. & alii. Donatio quingentos solidos excedens, quoad quingentos solidos firma est. L. 34. C. h. t. Et quoad excessum probabiliter valet in foro conscientiæ. Molin. de Just. tr. 2. D. 268. n. fin. Lug. & alii. In foro tamen externo potest retineri excessus, quia per donationem dominium fuit translatum in donatarium, licet revocabiliter donec à donatore, vel ejus heredibus repetatur. Et quidem hunc repetere valent tuta conscientia, etsi nulla fraus in donatione intervenisset. Hac tamen insinuatione non indigent ad valorem. 1. donationes, quæ licet simul sump-

128

tā hanc summam excedant, singulæ tamen non attingunt quingentos solidos, licet eidem donatario fiant. L. 34. §. 3. C. h. r. nisi unam moraliter donationem faciant, quia in fraudem Legis factæ, invalidantur. 2. donatio à Principe privato, vel à privato Principi facta, etiam sine insinuatione valet. L. 34. C. h. r. l. 9. tit. 4. p. 5. vel facta Militibus à Magistris Militiæ. L. 36. §. 1. C. h. r. nec indiget insinuatione donatio facta pro redimendis captivis, vel reparatione ædium. L. 36. C. h. r. Et hinc nec donatio ad causas pias; arg. c. 11. de Testament. Less. de Just. lib. 2. cap. 18. n. 102. & alii. Nec in his causis Leges Civiles insinuationem requirentes ullam vim habent, quia non sunt Jure Canonico approbate. Imò in nostra Hispania expressè à necessitate insinuationis excipiuntur donationes facta Ecclesiæ. L. 9. tit. 4. p. 5. & ibid. notat. Greg. Lop. nec remuneratoriæ donationes, nec causa mortis. L. fin. C. de Donat. caus. mort. vel quæ ob aliam causam fiunt: v. gr. dotis, vel studiorum, insinuatione indigent. L. 19. §. 1. & 5. ff. h. r. Molin. de Just. tr. 2. D. 279. Clar. V. Donatio, q. 3.

223 Donatio inter vivos semel perfecta, etiamsi verbis tantum constet, & nec dum res tradita sit, irrevocabilis est. L. 2. l. fin. C. de Revocand. donation. quia cum per eam sit jus donatario jam acquisitum non potest à privato: imò neque à Principe, nisi ob publicam utilitatem, tolli. Aliquando tamen potest revocari, & revocatur. Et quidem 1. revocatur donatio inofficiosa: talis est illa, quæ contra officium pietatis, filiorum legitimæ præjudicat: quatenus donator in tanta quantitate donat: ut legitima filiorum auferatur, vel minuatur per donationem. L. 2. l. 7. l. 8. C. de Inoffic. donation. tunc enim filii in portione legitima, & Legibus taxata gravati post mortem patris, vel matris (& non antea, cum solum tunc legitima debeatur) apud Judicem querelam intentare possunt, ut illa donatio rescindatur; non quidem tota, vel in totum, ne poena sit major delicto, sed solum in quantum ipsorum legitimæ detrahit. L. 7. C. de Inoffic. donat. nec tota revocatur: etiamsi facta sit talis donatio animo liberos sua legitima fraudandi; quod in nostra Hispania clarè decusum est in L. 8. tit. 4. p. 5. ibi: *E si el padre ficiera mayor donacion, pudenla revocar los hijos fasta en la quantia de su parte legitima.* Et notat ibid. Greg. Lop. quidquid alii disputent. Similiter parentes, alique ascendentes in sua legitima

gravati, possunt adversus liberos, post ipsorum mortem, & non ante, agere ad rescisionem donationis, quatenus eorum legitimam minuit. L. 4. C. de Inoffic. donat. sicut & ipsis querela inofficiosi testamenti competit. Non tamen est locus revocationi casu, quo liberi, vel parentes repudiant legatum, vel hereditatem, etiam delatam, sed nondum aditam, quia per talem repudiationem non propriè alienatur jus adquisitum, ut erat necessarium ad verificandam donationem, quæ ut in materia odiosa non extenditur ad hunc casum, in quo tantum verificatur jus nondum adquisitum remitti.

224 2. Revocatur donatio ob donarii ingratitudinem. L. fin. C. de Revoc. donat. l. 10. tit. 4. p. 5. non quidem ipso jure, sed per Judicis sententiam: interim tamen potest donatarius, cum verè Dominus sit, res donatas retinere. L. fin. C. de Revoc. donat. percipitque fructus, ante contestationem litis perceptos, sed lata sententia, etiam in foro conscientiæ rem restituere tenetur. Non tamen revocatur donatio.

1. si causæ piæ facta sit: quippè quæ principaliter Deo fit, ac proinde nequam potest ingratitudo verificari. Quod si fructus rei donatæ Prælo adquirentur; & hic ingratus sit, ipse eis ad suam vitam, privatur. 2. non revocatur donatio remuneratoriæ. L. 27. ff. h. r. nec donatio ob causam dotis. L. 24. C. de Jure dotium, nec propter nuptias facta. Siquidem hæ non propriè sunt donationes, cum non ex mera procedant liberalitate donantis. Casus ingratitudinis in ordine ad revocandam donationem afferuntur à Justin. in L. fin. C. de Revoc. donat. & à Greg. IX. in c. fin. h. r. ibi: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore, juris eam potuit revocare: si forti in ipsam impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, sive grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpsit.* Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores. L. 10. t. 4. p. 5. Si tamen donator ingratitudinem donarii ignoravit, vel etiamsi eam scivit, sed non potuit donationem revocare, cum vellet, quia v. gr. morte præventus fuit, tunc potest eam donatoris hæres revocare. Greg. Lop. in l. 10. tit. 4. p. 5. V. Sur herederos. Multoque magis potest contra donatarium, ut indignum agere, si donatori mortuo gravem irroget injuriam. Contra hæredes tamen donarii ingratum non transit hæc actio, cum poena delictorum solum afficiant suos auctores. c. 2. de His, que

que à major. parte. L. 22. C. de Pœnis: Etiam donatio revocatur, si conventiones donationi impositas in scriptis, vel sine scriptis, & quas donatarius spondit, nolit implere. L. fin. C. de Revoc. donat. & ibidem postea additur: *Ex his enim tantummodo causis donationes factas everti concedimus.* Undè hujusmodi Lex; cum sit odiosa, non debet extendi ad casus; nec causas, etiam majores expressis; arg. c. 15. de Reg. jur. in 6. licet donator post ingratitudinem commissam possit revocationem omittere, cum cuilibet liberum sit suo juri cedere, non tamen potest juri donationem revocandi propter ingratitudinem, etiam cum juramento renuntiare: hoc etenim contra bonos mores esset, cum ansam delinquendi præberet, & ad ingratitudinem provocaret: ac proinde tale juramentum non obligat. c. 8. de Reg. jur. in 6. quamquam alii aliter.

225 3. Revocatur, & quidem ipso jure, donatio, etiam jurata omnium, vel notabilis partis bonorum, si donatori (quicumque sit; etiamsi non sit patronus) qui tempore donationis factæ non habebat liberos, postea inopinatio liberi nascantur. Imò etsi unus tantum nascatur, revocatur donatio, dum talis filius legitimus sit. Adoptivi autem, nec naturales, nisi legitimentur per subsequens matrimonium; vel Principis rescriptum, donationi non nocent. L. 8. C. de Revoc. donat. l. 8. tit. 4. p. 5. Molin. de Just. tr. 2. D. 273. Lugo de Just. D. 23. scilicet. 11. n. 189. ratio hujusmodi revocationis est, quia in tali donatione subintelligitur conditio, si liberi non nascantur. Hinc liberis natis, ipso jure revocatur donatio. Gothofred. in l. 8. C. de Revoc. donat. l. 8. tit. 4. p. 5. & ibid. Greg. Lop. V. Es revocada. Et donator etiam ante Judicis sententiam, rem donatam repetere potest: interim tamen donatarius cum Dominus sit, non tenetur, nec in foro conscientiæ ad restitutionem rei donatæ, donec repetatur. Quod si liberi jam perfecta donatione nati ante patrem moriantur: adhuc revocatur donatio, quia semel donatione extincta per liberorum natiuitatem, amplius non reviviscit, etiam illorum morte; arg. L. 98. §. 8. ff. de Solutio. Aliquando tamen subsistit, nec revocatur, etiam liberis supervenientibus. 1. si donatio sit facta filio etiam emancipato: tunc enim non in totum revocatur donatio, sed solum quatenus nocet filiorum legitimæ. Molin. de Just. tr. 2. D. 273. n. 1. 2. si quis juramento renuntiavit juri revocandi donationem, natis liberis solum quoad

eorum legitimam revocatur. Molin. de Just. tr. 2. D. 273. n. 6. 3. si habens filios, etiam unicum donationem faciat, postea aliis natis, solum quoad eorum legitimam revocatur. L. 5. C. de Inoffic. donat. 4. donatio Ecclesiæ, vel alteri causæ piæ facta, cum hæc instar filii consideretur, & causa favorabilis sit. Auth. Si qua mulier, C. de Sacrosanct. Eccles. solum revocatur quoad legitimam filiorum, qui post talem nascuntur donationem. Lugo de Just. D. 23. n. 194. quoad cætera verò firma habetur; etiam in foro conscientiæ. Aliquando tamen erit expediens, ut totum ab Ecclesia restitutum filiis de novo natis, ut sic ab omni avaritiæ suspicione pergeretur: adhibitis tamen solemnitatibus juris ad alienationem requisitis: juxta text. sic intelligendum in c. fin. 17. q. 4. Lugo de Just. D. 23. n. 147. nec item revocatur per filiorum natiuitatem donatio ob remunerationem meritorum facta: tunc enim sat erit filiis legitimis non nocere; arg. L. 34. §. 1. ff. h. r.

226 Huc posunt reduci per modum appendicis contractus sponsionis, & ludi, de quibus saltem obiter hic agendum decrevi, cum propria Sede in nostro Jure Canonico careant, Sponsio igitur, quam Hispanè dicimus: *Apuesta*, est contractus, quo in re dubia unus pro una parte, & alius pro alia de veritate, seu eventu alicujus rei certantes, aliquid spondent, sive pecuniam, sive quid aliud, ut id ejus sit, qui eventum, seu veritatem rei attigerit. Ut autem licitè fiat requiritur, 1. quod uterque in eodem sensu accipiat id, de quo certatur; alias cum ambo possint convenire, non erit concertatio, vel oppositio inter negationem unius, & assertionem alterius. 2. requiritur quod detur æqualitas in re, quæ spondetur, nisi alter huic conditioni voluntariè cedat. 3. & præcipuè requiritur, quod sponsio fiat super re dubia, seu quod eventus respectu utriusque dubius sit: quod si aliter de eventu certus; & securus esset, vel per scientiam, vel experientiam certam, vel etiam per Divinam revelationem, vel per notitiam à Diabolo, vel aliundè habitam, restituere tenetur, quod sic fuerit lucratum, quamvis aliqui probabile judicent, adhuc eo casu; non teneri ad restitutionem. Et sanè nec peccat, nec restituere tenetur, qui protestatur, se esse certum de eventu, vel veritate, & hoc non obstante contrarius contendit, & vult spondere: quia in hoc casu nulla fraus adest ex parte illius, qui certus est, sed totum debet tribui,

& imputari temeritati, & pertinaciæ contrarii: cui profectò nulla fit injuria, cum sciens, & consentiens sit: & potius donare, quam in futurum contingentem eventum spondere censetur. *c. 27. de Reg. jur. in 6. l. 53. ff. eod. ibi: Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est.* De hoc contractu latius agunt Machad. in Sum. lib. 3. p. 5. tr. 7. Dian. in Sum. V. Sponsio, Lacr. lib. 3. part. 2. ex n. 1065.

227 Proximus sponsioni ludus est, qui sic communiter definitur: *Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit.* Ludo equidem licite utimur ad animi recreationem, & quietem: nam animus hominis frangeretur, si nunquam à laboris relaxaretur intentione. Ita tamen eo est utendum, sicut somno, & aliis recreationibus utimur: tunc scilicet, quando gravibus, seriisque rebus, propriisque muneribus, & officiis satisfecerimus. Si enim debite & moderatè sumatur, ad virtutem Eutrapeliæ (quam jucunditatem dicere possumus) spectat: ac proinde non solum per excessum, sed etiam per defectum in hac materia peccari potest. Magis tamen, attenta hominum naturali ad otium, & quietem propensione, in excessu, quam in defectu peccatur. *D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. 3. & 4.* Ludus quidem triplex est: alius merè ingeniosus, alius merè fortuitus, alius mixtus. In ludo ingenioso non fortuna, sed ingenium dumtaxat locum habet, ut in ludo pilæ, scachorum, &c. merè fortuitum decimus, in quo fortuna tantum, & cassus locum sibi vendicant; ut in ludo taxillorum, Hispanè: *Dados*, & in pluribus ludis chartarum. In mixto denique locum habent ingenium paritèr, & fortuna; ut in variis chartarum ludis contingit. Ludus in quo ingenium, vel vires exercentur, certè licitus est. *L. 2. §. 1. ff. de Aleator. ibi: Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando: quod virtutis causa fiat.* Ludus fortuitus jure Naturæ neutiquam prohibetur: nec fit quidem gravitèr malus ex sola circumstantia animi principalitèr intenti ad lucrandum aliquid, etiam in magna quantitate ab eo tamèn, qui potest donare: neque etiam ex nimio, & ardenti ludendi appetitu, nisi aliquod præceptum gravitèr obligans violetur, vel si ludens exponatur periculo amittendi bona, sine quibus non potest uxorem, filios, & familiam sustentare. Ludus merè for-

tuitus, & aliquando etiam mixtus jure Positivo prohibentur. *c. 15. de Vir. & honest. Cleric. l. 1. ff. de Aleatorib. arg. l. 6. tir. 14. p. 7. l. 2. & seqq. tit. 7. lib. 8. R.C.* In Indiis ludus chartarum Senatoribus prohibetur, permittitur autem militibus in locis, in quibus est custodia militaris, Hispanè: *Cuerpo de Guardia* & quidem ludus taxillorum omnino prohibitus est, ludus autem chartarum ex se est permissus, ubi specialitèr non prohibetur, sed etiam in ludis permissis magnæ summæ exponi prohibetur. In Indiis solum potest exponi quolibet die quantitas decem argenteorum. *L. 1. & per tot. tit. 2. lib. 7. R. Ind.* ejusmodi tamen Leges non obligant in conscientia, siquidem contraria consuetudine, scientia, & patientia Legislatorum abrogata censetur. *Machad. in Sum. lib. 3. p. 5. tr. 7.* Ludere autem in Ecclesia ludos, qui in ea non sunt specialitèr prohibiti, non est peccatum mortale: imò si fiat causa honestæ recreationis ab illis, qui ad Ecclesiam confugerunt, poterit etiam à veniali excusari. *Lacroix lib. 3. p. 2. n. 1094. Cajet. Navar. & alii.* Ut ergo ludus licitus sit requiritur. 1. quod ludens non utatur dolo, & fraude. 2. quod sit æqualis conditio colludentium. 3. quod ludens possit dispendere de re, quam exponit ludo. Hinc, qui fecit contra ludì conditiones, & vicit, tenetur sic lucratum restituere: v. gr. si fingens se planè ignarum, provocavit adversarium ad ludendum, qui cum certè esset imperitior neutiquam luderet, si adversarii nosceret peritiam: non tamen tenetur restituere, si asturius in ludo consuetis aliquis uteretur: v. gr. si ex usu ludì chartas cognosceret: secus est, si antea eas signasset, vel etiam nosset, ignorante adversario. Deinde, potest inferiores chartas habens disimulare, augereque sponsonem: ut alter metu concussus relinquat, quod appositum erat: sic etiam potest potiores chartas habens, & de victoria securus, sponsonem augere, vel metum simulare, ut adversarius sponsonem augeat. Item potest juvari notitia, quam hausit ex inspectione chartarum adversarii, habita quidem ex sola ipsius negligentia: secus est, si fraude notitiam adquisivit, ita se collocando, ut eas possit videre, vel alium constituendo à quo nutibus, vel aliis signis admoneatur.

228 Solum ludere valent, qui suorum bonorum administrationem habent, quales sunt patresfamilias, & etiam filii, respectu bonorum castrensium, & quasi castren-

trensium: non tamen potest filiusfamilias bona adventitia, vel profectitia ludo exponere. Uxor de bonis paraphernalibus liberè disponere valet, ac proinde, & ludo exponere: generalitèr tamen uxor, & filiusfamilias ultra prædicta bona, aliquid, sed tantum moderatè ludo exponere possunt ad licitam recreationem: Sic enim à parentibus, & maritis permissum præsumitur. Servus solum potest ludo exponere pecuniam, quam Dominus ei ad liberam dispositionem permittat. Religiosus potest etiam aliquid, moderatum tamen, ludo exponere, siquidem de Superioris licentia aliquid moderatum donare valet. Regularitèr tamen Religiosi pro psalmo, vel oratione Dominica recitanda ludere solent: quod quidem nec peccatum, nec irreverentia est: quin etiam aliquid dampnè ludere sub pacto, quod si quis vincatur legat Missam pro victore, & si vincat lucratur pecuniam, nihilominus licitum hoc esse tenent *Rodrig. Dian. & alii.* Nam tunc non datur res spiritualis pro temporalis, sed offertur executio rei spiritualis loco rei temporalis, alioquin tradendæ: quæ commutatio non debet, ut illicita damnari. *Lacr. lib. 3. p. 2. n. 1096.* Clericus de suis bonis ludere potest, sicut Laicus, & solum ratione excessus, scandalis, vel distractionis peccare potest. Qui ergo ludens cum eo, qui alienare non potest, vicit, restituere tenetur, id quod lucratus est ultra permissum ipsi colludenti alienare: talem namque excessum invito Domino accepit: Deinde, ut æqualitas servetur, etiam ille, qui alienare non potest tenetur restituere, si vincat, illum excessum, quem ipse alienare non poterat, nisi fortè collusor sciret, illum non posse alienare: nam tunc nihil est restituendum: quia collusor suo jure renuntiare censetur: nec scienti, & consentienti aliqua irrogatur injuria. Qui ludo, Lege positiva prohibito, perdit, non tenetur in conscientia solvere, nisi solvere jura verit. Si verò vicerit non tenetur restituere ante Judicis sententiam. *Machad. in Sum. lib. 3. p. 5. tr. 7.* Aliquando in nostra Hispania victus, etiam in ludo non prohibito, non tenetur solvere victori, quod lucratus est. *L. 8. tir. 7. lib. 8. R.C.* Ibi enim statuitur, quod qui perdidit in ludo pecunia credita non tenetur solvere, quin etiam contractus ibidem irritatur, nullamque vim obligandi habere dicitur. Sic enim dicit prædicta Lex: *Mandamos, que de aqui adelante ninguna persona, de qualquier estado, ó calidad que sea, pueda*

*jugar, ni juegue á credito, ni fiado, aunque sea juego de pelota, ni otro de los tolerados, y permitidos en estos Reynos; y si jugaren los dichos juegos á credito, ó fiado, mandamos á las nuestras Justicias, que no condenen, ni executen en las tales personas, ni en sus bienes, ni de sus fiadores, lo que asi debieren de los dichos juegos á credito, ó fiado: y por la presente damos por ningunas qualquier obligaciones, escrituras, ó promesas, que las tales personas cerca de ello hicieren. Quod si victus liberè, & voluntariè solvat, sciens, se ad id non teneri: qui victor extitit potest utique sit solum retinere, donec ab eo, qui solvit repetatur. Et ita viri doctissimi hanc Legem intelligunt, & ita consuetudine, & praxi recepta est. *Salmanticens. tr. 14. cap. 4. n. 63.* & quamvis ludere cum excessu, nisi aliquid volenter præceptum, excusetur à peccato; at verò publicas domus habere, ubi indistinctè omnes genus personarum admittatur ad ludendum: quas Hispanè dicimus: *Coymerias*, vix à peccato gravi poterit excusari ob plurima inconvenientia, quæ ex earum usu solent oriri, & pullulare, & ab antiquo jam ludorum damna in his versibus ponderantur apud *Aceved. in Rubric. tit. 7. lib. 8. R.C. n. 7.* *Hæc dum taxillis luctando crimina fiunt. Ecclesie spretus, usuraque, rixa, rapina: scandala, tum nuge, blasphemia, tum faciendi furti doctrina, violentia, copia falsi, & mortis causa, deceptio, perditioque temporis, & desiderium, corruptio ingens istis prædictis adulatio utique turpis.* Hisque rationibus prohibentur hujusmodi domus in *L. 2. tir. 2. lib. 7. R. Ind.* & quamvis postea in conventionibus inita cum Rege super expensione chartarum, Hispanè: *Asiento*, y *Estanco de Naypes*. videantur tales domus permissæ; his tamen inconvenientibus occurritur in Conditione 26. ibi: *Quidando, como quando corrientes los juegos de Naypes permitidos, no lo ha de ser en manera alguna el que haya casas de juego, donde se junten á jugar, y conversar hombres, y mugeres juntos: ni donde jueguen hijos de familia, esclavos, y sirvientes, negros, y mulatos, ni otra especie de gente de igual calidat, so pena de que el que lo permittiere, ó tuviere casa para lo referido, será castigado á mi arbitrio.* Nec enim posset Princeps permittere tales domus, si non præcaveret inconvenientia, quæ ex ipsis communiter sequuntur. Sed de his latius: *Diana in Sum. V. Ludas. Aceved. in tir. 7. lib. 8. R.C. Machad. in Sum. lib. 3. p. 5. tr. 7. Lacr. lib. 3. p. 2. ex n. 1067. & alii.**

TIT. XXV.

De Peculio Clericorum.

229 **P**eculium sic dictum, quasi *pusillum pecunia*, seu *patrimonium pusillum*. L. 5. §. 3. ff. de Peculio. *Scribitur acceptum est ea portio bonorum, quam filiusfamilias, vel servus quasi propriam habet permissu patris, aut Domini. Latius autem sumitur pro patrimonio, vel bonis aliquis, etiamsi paterfamilias sit.* L. 16. ff. Ad S. C. Trebellian. In presentia tamen nomine peculii bona Clericorum veniunt. L. 1. tit. 21. p. 1. ibi: *Pegujar de los Clerigos son todas las cosas, que ellos ganan derechamente por suyas, quier sean muebles, d'raizes.* Duplex est Clericorum peculium, *professivum*, scilicet, quod acquirit ab Ecclesia, quasi matre spirituali, & *adventivum*, quod scilicet, aliunde querit justè, ex sua persona, vel ex consanguineorum successione, vel ex donatione amicorum, vel quod querit aliquo officio, vel industria, ita ut quod in Laico dicitur peculium castrense, vel quasi castrense, in Clerico adventivum dicatur. L. 2. tit. 21. p. 1. & ibid. Greg. Lop. Et quidem ad faciliorem explicationem ad quatuor classes possunt Clericorum bona reduci. 1. Enim sunt *bona patrimonialia*, quæ scilicet, habent Clerici ex proprio patrimonio adquisito ex hereditate, vel donatione, non quidem Ecclesiæ, sed ipsis Clericis facta. c. 15. de Testament. quod si dubium sit, an testator, vel donator Ecclesiæ, vel Clerico rem donasset: conjecturis standum est: nam si res donata sit conveniens Ecclesiæ: v. gr. Calix, Ecclesiæ acquiritur: si verò res sit magis personæ, quam Ecclesiæ proportionata, v. g. vestis, Clerico acquiritur. Si donans sit consanguineus, vel amicus Clerici, vel Prælati, ipsi acquiritur donatio: Ecclesiæ verò si donans sit persona omnino extranea. c. 15. de Testament. Etiam sunt bona patrimonialia ea, quæ Clericus ex quocumque contractu acquirit, vel etiam propria industria independentè à beneficio, vel ministerio Ecclesiastico: v. g. quia est pictor, vel Medicus. Siquidem Clerici per ordinationem neque fiunt domini incapaces, nec eo se abdicant. c. 18. 12. q. 1. ac proinde in ejusmodi bonis perfectum dominium habent, liberèque de eis disponere etiam ad usus profanos, valent, tam inter vivos, quam in testamento. c. 19.

12. q. 1. c. 1. c. 9. de Testament. L. 53. tit. 6. p. 1. l. 3. tit. 21. p. 1. Quod si ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, vel etiam de Ecclesiasticis necessariis ad congruam sustentationem aliquid expendat beneficiarius in causas pias, potest utique sibi ex rebus Ecclesiasticis superfluis eam summam compensare, etiamsi animo non compensandi expendisset, ut tenent aliqui cum Lug. de Just. D. 4. n. 92. contra aliquos. Deinde, quicquid ex his bonis Clerici acquirunt, emendo, vel vendendo, v. g. sibi acquirunt. L. 6. tit. 21. p. 1. 2. Sunt *bona quasi patrimonialia*: quæ scilicet, Clerici, ut tales acquirunt: v. g. concionando: & quæ de congrua sustentatione, parè vivendo, sibi reservant, quæ parsimonialia solent appellari. Inter hæc bona, etiam numerantur funeralia, & alii reditus, qui *stole* dicuntur. Hæc enim tamquam merces laboris Clericis sine ullo onere à fidelibus dantur, ac per consequens de eis ad libitum disponere possunt. Etiam ut bona patrimonialia habent distributiones quotidianæ, quæ dantur his, qui Divinis intersunt officiis. Et quidem harum dominium ad Clericos pertinere probatur à contrario sensu. Ex c. un. de Cleric. non resident. in 6. & tenent communiter cum D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. TT. & Canonista contra Navar. de Redit. q. 1. monit. 30. & alios. Etiam quicquid his bonis emunt, vel aliter acquirunt Clerici sibi ipsis proculdubio acquirunt. L. 6. tit. 21. p. 1.

230 3. Sunt *bona beneficiaria*, ut reditus, quos Clerici ex beneficio Ecclesiastico, vel Dignitate annuatim percipiunt: qui *fructus grossi* dicuntur. Horum dominium ad Episcopos, vel Clericos pertinere negant D. Martin. Azpilcuet. Navar. de Redit. q. 1. & in Apolog. q. 1. monit. 38. & 39. Archidia. Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 42. & alii, qui proinde asserunt, Clericos ex justitia teneri, fructus, qui ad ipsorum congruam sustentationem non sunt necessarii, in opera pia expendere. E contra verò, dominium verum in fructibus, etiam superfluis beneficiorum Episcopos, & Clericos habere, tenent D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. Covar. in c. Cum in officiis, 7. de Testament. n. 6. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 20. n. 24. Lug. de Just. D. 4. sect. 1. n. 2. Barbosa. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 17. n. 9. Gonz. in c. fin. h. t. n. 6. & alii, & constat ex eo, quod Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. ait: Beneficiatos, qui non resident, *prorata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia*

via illos detinere posse. Et de provis ad beneficia curata, qui intra duos menses non faciunt publicam fidei professionem in ipso. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. dicitur, *non facere fructus suos: unde à contrario sensu infertur, quod fructus suos facient, si publicam fidei professionem faciant: quod quidem juxta Text. in L. 2. §. 2. ff. de Rebus credit. est idem, ac dominium acquirere.* Et corroboratur ex c. fin. de His, quæ sunt à major. part. Capit. c. un. de Cleric. non resident. in 6. & etiam ex c. 2. de Fidejussorib. ubi ex rebus beneficiarii inopis debita solvi jubentur. Et si non essent Domini ipsi beneficiarii, tallum reddituum Ecclesia solutum, tantum indebitum repeteret. L. 78. ff. de Solutioib. Etiam comprobatur ex Const. Julii III. Cum sicut. Edita 3. Jun. An. 1550. ubi prædictus Pontifex ait: *Pecunias, & res alias occasione beneficiorum Ecclesiasticorum provenientes postquam ad manus Beneficiatorum pervenerunt: non alterius in Ecclesiasticis; sed potius ipsorum beneficiorum propriis, & ab his adquisitis bonis judicari, & propterea quodammodo pro secularibus, & profanis haberi:* fecit etiam Lex fin. tit. 21. p. 1. Nec enim debent Clerici esse pejoris conditionis, quam Officiales, & operarii profani Ecclesiarum, ut Cantores, & alii Ministri, quibus stipendia assignata plenissimè acquiruntur: & hæc esse creditur fundatorum, & fidelium voluntas, & intentio: Hinc quicquid his bonis Clerici emunt, vel aliter acquirunt, sibi ipsis acquirunt: arg. c. 3. h. t. nam subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Sic Azor de Instit. p. 2. lib. 7. cap. 16. Navar. & alii contra Sarnient. & alios. Sed ut hæc materia clarius percipiatur, & aliquibus Textibus, qui contrarii videntur, satisfaciamus, varios status hujusmodi bonorum, pro temporum varietate, distinguere est necessarium. Tempore enim prædicationis Christi Domini, Apostoli, cæterique Christiani vitam communem agebant, nec aliquid proprium possidere solebant. Math. 6. v. 31. Et c. 10. v. 9. Et c. 19. & 29. sed omnia ad Apostolorum pedes deferebant, ut ipsi inter fideles pro uniuscujusque necessitate distribuissent. Act. Apostol. cap. 4. Text. in C. Dilatissimis, 2. 12. q. 1. poterant tamen aliquid proprium retinere. Ex Can. 40. Apostol. relato in c. 21. 12. q. 1. Tunc enim si Clerici aliquid ultra sibi necessarium percipiebant, cum adhuc divisio bonorum non esset facta, furtum, & sacrilegium committebant. c. fin. 16. q. 1.

c. 7. 10. q. 2. c. 7. c. 23. 12. q. 1. D. Hieronym. in Pr. D. 41. Bernard. in epist. 40. Et Clerici dicebantur administratores. c. 19. 12. q. 2. c. 2. de Donation. & hoc modo intelliguntur prædicti Textus, & autoritates. Vel etiam possunt intelligi respectu bonorum; quæ non ad Clericos; sed ad Ecclesiam pertinent, quorum, non Domini, sed administratores Clerici sunt. Et quidem bona Ecclesiastica cum ad cultum, & honorem Dei sint destinata, patrimonium Christi. c. 16. de Præbend. c. 34. de Election. in 6. res Dei. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 1. pecuniæ Christi. c. 1. c. 6. 12. q. 2. & alia hujusmodi dicuntur. Aucto tamen postea fidelium, & Clericorum numero, jam corrente anno 467. Universa Ecclesiæ bona fuerunt à S. Simplicio in quatuor partes divisa: quarum prima Episcopo, 2. fabricæ, 3. Clericis. Quarta denique pauperibus assignata fuit. C. de Reditibus, 28. 12. q. 2. sed demum hæc divisio antiquata fuit, & portio pauperum Episcopis cum onere eos alendi tributa fuit, & portio Clericorum cessavit. In cujus locum certi, & determinati reditus officii Ecclesiastici fuerunt assignati: quibus tamquam rebus propriis Clerici utebantur, & beneficia Ecclesiastica appellari cœperunt. Gonz. in c. 1. de Præbend. ex n. 7.

231 In 4. denique classe sunt bona, quæ propriè Ecclesiastica dicuntur, quæ scilicet, fidelium liberalitate sunt donata Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis locis: & penes ipsas Ecclesias sunt, debentque impendi in fabricam talium locorum, in Ministrorum salariis: in curam infirmorum, & in pauperum eleemosynas L. fin. tit. 21. p. 1. & hujusmodi bonorum dominium particulare, & penes ipsa Clericorum Collegia vel Regularium Capitula: Vel si talia Collegia, & Capitula non sint, penes ipsam fidelium ad talem Ecclesiam spectantium communitatem erunt. c. 1. de Testament. ibi: *In ejusdem Ecclesie dominio conservetur.* c. 11. 12. q. 1. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3. dominium tamen universale ejusmodi bonorum est penes Universalem Ecclesiam. Quod si Monasteria sint domini incapacia, Sedes Apostolica habet non solum dominium universale; sed etiam, & particulare rerum ipsis donatarum: vel erit penes locum Religiosum, ut personam fictam, sicut dominium bonorum defuncti in hereditate jacente conservatur. Glos. in c. 13. V. Ecclesiam, de V. S. Sic Cajetan. & alii contra. Innoc. Navar. & alios, qui talium

bonorum dominium Christo tribuunt ex testibus supra allatis. Deinde, quidquid Prælati prædictis rebus emunt, vel aliter acquirunt, non solum si nomine Ecclesiæ, sed etiam si nomine proprio, vel etiam alterius extranei acquirant, Ecclesiæ acquirunt. *c. 1. c. 2. c. 4. h. t. l. 7. tit. 21. p. 1.* Clericus igitur ex redditibus Ecclesiasticis beneficiorum deducere debet quidquid necessarium est ad ejus congruam sustentationem, hoc est, ut honestè vivat juxta conditionem status, gradus, qualitatibus, & Regionis: aliter enim debet se gerere Parochus, aliter Canonicus, aliter Episcopus, aliter nobilis, aliter graduatus, &c. *c. 28. de Præbend.* Nomine autem sustentationis congruæ veniunt etiam donationes moderatæ ex gratitudine, vel benevolentia, convivia, & alia hujusmodi.

232 Clericus quidem licet Dominus sit reddituum Ecclesiasticorum, qui ad congruam sustentationem superfluunt, eos tamen sub gravi tenetur in pauperes, vel alias causas pias, præcipuè propriæ Ecclesiæ, erogare. *Trid. sess. 25. de Ref. c. 1.* quantitas autem materiæ constituens hanc gravem obligationem, non taxatur, sicut in furto, sed prudentem arbitrio relinquuntur taxanda: potest etiam Clericus consanguineis aliquid donare, si verè pauperes, sint, quin etiam eorum debita, etiam ob finem profanum contracta, solveat, vel ad dotem, vel studia, & ad decentem statum conservandum necessaria erogare, & suos filius, non solum legitimos, ante Clericatum habitos, sed etiam spurios alere debet. *Ex Trid. sess. 25. de Ref. cap. 1. l. fin. tit. 21. p. 1.* ibi: *Bien pueden darlo, à partirio à pobres, è à Ordenes, è à otros logares, que sean de merced, è à parientes, è amigos, è à los que los sirven en su vida, quier sean de su linage, è non.* Hanc quidem obligationem expendendi redditus Ecclesiasticos in causas pias ex virtute justitiæ descendere tenent *Navar. de Redit. Eccles. q. 2. monit. 7. Laym. & alii.* Ex charitate oriri asserunt *Molin. & alii.* ex virtute religionis procedere dicunt *Lug. de Just. D. 4. scilicet. 2. n. 16 & alii.* Nullo tamen Jure, nec Divino, aut Naturali, nec ex justitia, charitate, aut religione, sed solum ex Jure Positivo, & præcepto Ecclesiastico hanc obligationem inductam esse tenent *Soto de Justit. lib. 10. q. 4. art. 3. Less. de Just. lib. 2. cap. 4. n. 47. & alii.* nec enim faciliè appareat ex quo alio capite hæc oriatur obligatio: quin, & nostra sententia satis clare deducitur *ex c. 7. l. 1. c. 13. 12. q. 2.*

c. fin. 16. q. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 1. l. fin. tit. 21. p. 1. Nec enim ex justitia hæc oritur obligatio, cum ipsi Clerici sint Domini reddituum Ecclesiasticorum, nec constat, quod Ecclesiæ hanc obligationem Clericus imposuerit, nec quod fideles beneficiorum, & prebendarum fundatores sub hoc modo, vel conditione sua bona beneficiis fundandis donassent: ac proinde non est imponenda ipsis Clericis, nec aliis accipientibus, obligatio restitutionis, si fortè in alios usus tales redditus expendantur. Nec etiam ex charitate hæc obligatio provenit, cum charitas solum obliget graviter, in extrema, vel saltem gravi necessitate pauperibus subveniri. *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 5. in corp. & alii.* & aliud constet, quod etiam extra hos casus peccent Clerici, bona hujusmodi in usus profanos expendendo. Deinde ipsi satisfaciunt, si in cultum Divinum promovendum, vel ad beneficia fundanda, vel etiam ad alia opera, quæ non sunt charitatis applicant, ac per consequens liquet, quod non tenentur ex charitate hujusmodi bona pauperibus elargiri. Nec item provenit hæc obligatio ex religione: cum tales redditus sint merè temporales, nec appareat, cur eorum usus, & applicatio ad causas profanas esset contra religionem: vel si hoc diceremus, similiter habenda esset contra religionem applicatio bonorum patrimonialium, & quasi patrimonialium ad usus profanos, cum talia bona ejusdem naturæ sint cum beneficialibus: quod sanè nullus dicis. Restat ergo, & deducitur per legitimam consequentiam, quod hæc obligatio ex præcepto Ecclesiastico descendat, fundato quidem in eo quod hæc obligatio valde expedit Clericorum decentiæ, & valde utilis sit ad Clericos continendos in honestate ad fidelium ædificationem, ad cultus Divini augmentum, & maxime conformis fundatorum institutioni. Quando autem dubitatur quo titulo adquisita sunt bona à Clerico relicta, censentur adquisita titulo Ecclesiæ, vel beneficii, nisi probet Clericus ex propria industria adquisisse, vel ex proprio patrimonio ea habere. Quod si patrimonialia habebat, credendum est, quod fructus beneficii applicarit ad congruam sustentationem potius, quam bona patrimonialia: & ad suos hæredes spectabant ea, quæ non proveniant ex rebus Ecclesiæ; quod si Clericus aliquid ex bonis Ecclesiæ emat, nomine Ecclesiæ debet facere instrumentum: è contra verò debet nomine proprio

ins.

instrumentum facere, si ex proprii patrimonii bonis aliquid adquirat, vel emat; *Arg. c. 21. 12. q. 1. l. 6. tit. 21. p. 1.*

TIT. XXXI.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

233 **U**ltima voluntas genericè sumpta quinque species continet: videlicet: testamentum, codicillum, legatum, fideicommissum, & donationem causa mortis. Testamentum sic dicitur, quasi testatio mentis sit, seu mentis coram testibus declaratio. Et sic à Modestino definitur: *Est voluntatis nostra justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult.* *L. 1. ff. Qui testament. facere,* quod alii sic explicant: *Est ultima voluntas alicujus heredis institutionem continens: dicitur namque ultima voluntas: quia solum post mortem fit irrevocabilis, facit illud Apostoli ad Hebr. 9. v. 17. Testamentum in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Et idcirco communiter vocatur, quod ultima voluntas est deambulatoria usque ad ultimum vitæ spiritum. Etiam solet testamentum supremæ voluntatis elogium appellari. *e. 3. h. t. & sanè, cum teste Constantino in L. 1. C. de Sacrosanct. Eccles. nihil sit, quod magis hominibus debeat, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium: Juri Naturali esse valde consentaneam testamenti factionem tenendum est.* *Covar. 3. Var. cap. 6. n. 7. Molin. de Just. tr. 2. D. 124.* Et cum apud omnes ferè Gentes in usu semper fuisset, etiam Juris Gentium esse dicitur. Sed cum nullus possit disponere de aliqua re, quando ejus dominium non habet, & testator in hunc casum disponat, quando scilicet, morte ejus, dominium, quod in suis rebus habebat, extinctum est: siquidem mors omnia solvit: idè, ut hæc voluntas rata habeatur, fuit necessaria Lex Civilis talem dispositionem ex se infirmam, corroborans: hinc & quia plures solemnitates Jus Civile induxit, Juris Civilis testamenti factionem esse, dicendum est: ac per consequens testamenti factio potest abrogari per legem, statutum, vel consuetudinem: nam etiam si originem ex Jure Naturali trahat, non est Juris Naturalis præceptivi, sed

permissivi tantum: quod quidem mutari, & circumscribi à Jure Civili utique potest.

234 Olim quidem duo genera testamentorum in usu fuerunt; quorum quod *calatis Comitibus* appellabant: hoc est coram Populo in Comitibus congregato: altero cum in prælium exhuri erant, utebantur, & *præcinctum* dicebatur, & coram Commilitonibus fiebat, quibus accessit tertium testamentorum genus, quæ dicebantur *per æs, & libram*: quod quidem per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus, & libripende, Civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. *§. 1. Instit. de Testam. ordinand.* Testamentum hodie, his jam abolitis cæremoniis est duplex: aliud namque est *solemne*, quod scilicet, omnes solemnitates Juris Communis habet: aliud *non solumne*, quod scilicet, prædictis solemnitatibus ex aliquo privilegio, seu favore non indiget. Rursus Testamentum aliud est *scriptum, nuncupativum* aliud. *Scriptum enim Hispanicè: Corrado* est illud, quod in scriptis exhibetur. *Nuncupativum Hispanicè: Abierto* est illud, in quo testator coram testibus, non in scriptis, sed viva voce suam voluntatem declarat. Scriptum autem plures solemnitates de Jure Civili requirit: videlicet, quod hæres expressis verbis instituat, & nomen hæredis scribatur propria testatoris manu, vel si aliena testamentum sit scriptum, testator propria manu subscribat: vel si hoc non fiat, adhibendus est octavus testis, qui nomine, testatoris subscribat. Et sic subscriptum debet testator testibus ostendere, dicendo, in eo suam ultimam voluntatem contineri. Debent insuper adhiberi septem testes, qui non sint Lege prohibiti in aliis causis testificari: debent esse rogati, seu ad hoc vocati, & invitati: & etiam puberes, id est non minores quatuordecim annis, item masculi, non femine; liberi, non servi. *§. 6. Instit. de Testam. ordinand.* & ita præsentibus adesse debent, ut testatorem audire, & videre possint. Deinde testis debet esse sanæ mentis, non mutus, nec cæcus: item hæc ipse testis esse nequit: legatarius tamen bene testis adhiberi valet. *§. 10. & 11. Instit. de Testam. ordinand.* nec testis potest aliquis domesticus esse, nec enim filius in testamento patris testificari potest, nec pater in testamento filii, nec frater in testamento fratris. *§. 10. Instit. de Testam.*

or.